VITT. EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 A
2

26.4.22.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

26.4

271 1

271
2

Declaratio ad

§.Quinimmo.L.Iuriſgentium.ff.de pact.
Autore Iuliano Aurelio Leſsignienſi.LL.
Licentiato.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Pictauii,in officina Marneſiorum fratrum pridie calen.Nouemb.Anno. 1538.

12.33 A 2

Ad Iulianum Aurelium Iuriſc.
Io. Sanellius Paulinus.

Communi Oedipus ore prædicatur
Omnium, quoniam tenebricoſos
Sphingis dicitur explicaſſe ſcyrpos.
Et fraudabere gloria, bonique
Et æqui meritò bone ô ſacerdos,
Qui problemata cæca ſanctiorum
Legum ſolueris, atque clariora
Luce hac feceris, antè quæ tot & diu
Oedipos male torſerant & Argos?

Reuerendiſſ. P. Philippo à Camera Cardinali Bolonienſi; Iulianus Aurelius Leſsig. S. P. D.

NOn dubito, Mecœnas optime ſimul & eruditiſsime, quin plurimum admiraberis ac fortaſsis etiam irridebis audaciam hanc meam, qui cum in legali diſciplina tyrunculus adhuc planè ſim, & eam primoribus labiis uixdum attigerim: auſus tamen fuerim nulla uirium mearũ habita ratiõe, omniũ quæ in iure ſunt difficillimã atque intricatiſsimã materiã præſentibus & argumẽtãtibus Doctoribus diſputãdam aſsumere. Sed admirari deſines, ubi primum intellexeris eo me ſemper à pueritia fuiſſe ingenio, ut facillima quæque, ac expoſitiſſima contemnerem,

difficillima uerò ac remotiſsima maximè ſuſpicerem. Tractent ſanè alii argumenta leuia & omnibus obuia, mihi autem magis placet circa res arduas uerſari, & in materia ſublimi uires meas periclitari. Neque hoc me mouet, quòd in magnis rebus multò promptius ſit labi, quàm in paruis, quoniam & magna auſo longè etiam facilius ignoſcitur. Vulgare quidem eſt & iam tritum prouerbium. Satis ſemper fuiſſe, in rebus arduis uel uoluiſse tantum. qua ſententia eſt certè animus me tueri aduerſus omnes uitilitigatores, qui cum infantiores ſint ipſa infantia, & nihil præſtare poſsint, aliena tamen ſemper cauillantur, hoc ſcilicet agẽtes, ut ex detractionibus nomen & gloriam aucupentur. Vtcumque au-

tem labor hic meus ceſsurus eſt, eum tibi dicamus. Siquidẽ æquiſſimum mihi uidebatur, ut cuius conſilio artem hanc amplexari cœpi, ei primos ex ea perceptos fructus offerrem. Sed ne epiſtola ipſa opus excedere uideatur, ad rem ipſam nunc accingor. Vale. Pictauii quarto calend. Nouemb.

Paradoxa hic aſſerta.

1 Ex pacto incontinenti appoſito duas actiones naſci, ueterem informatã, & nouam præſcriptis uerbis, communis opinio eſt.

2 Cæterum ex tali pacto tantùm oriri ex eodẽ contractu actionem, non præſcriptis uerbis, cõtra communem defendemus.

3 Ad leges quæ pro contrariis aſſignantur, reſpondebimus.

4 Vulgò receptum eſt pactũ ex cohærentia pârere tam in contractibus bonæ fidei, quàm ſtricti Iuris.

5 Nos tamen oſtendemus hoc uerum eſſe in contractibus bonæ fidei tantùm, non ſtricti iuris.

6 Alium intellectum dabimus ad .l. lecta . ff. ſi certum pet. & .l. petens. c. de pact . ex quibus uulgò fundatur ſecunda opinio.

DECLARATIO AD. §. QVINIMMO. L. IVRISGENTIVM. FF. DE PACTIS. AVTORE IVL. AVRE. LESSIG. LI. LICENTIATO.

Vlpia. lib. 4. ad edict.

QVinimmo interdũm informat ipſam actionem: ut in bonæfidei iudiciis. Solemus enim dicere pacta cõuenta ineſſe bonæ fidei iudiciis. Sed hoc ſic accipiendum eſt, ut ſiquidem ex continenti pacta ſubſecuta ſunt, etiam ex parte actoris inſint: Si ex interuallo non inerunt: nec ualebunt ſi agatur, ne ex pacto actio naſcatur.

VIdeor mihi operæ pretiũ facturus, ſi priuſquàm ad uerſiculi huius interpretationem uenio, duobus uerbis oſtendero, quomodo paragraphus hic ad ſuperiora legis præſentis reſpõſa ueniat: nõ quòd paragraphos paragraphis cõtinuare neceſſe ſit, ſed quòd

hoc ad clariorē rei intellectū ſæpenumero faciat. Vult igitur Vlpianus in principio legis huius oſtendere differentiam inter contractus nominatos, & innominatos: illos enim actionem ſemper párere, non quia nominati ſunt (nomen enim ad pariēdam actionem ſufficiens cauſsa nō eſt) ſed quia ſemper habent iuſtam cauſſam cur pariant. Hos autem, de innominatis loquor, ita demum actionem párere, ſi iuſta ſubſit cauſſa, hoc eſt ſi contractus ex parte alterius adimpletus ſit: ueluti ſi conuenerimus ut tu mihi rem aliquā dares, & ego tibi rem aliam: ſi quidem ego tibi dedi, nec tu mihi dederis: præterquàm [b] quòd repetere per condictionem ob cauſſam poſſum quod dedi, ſi me contractus pœniteat, etiā in caſum quo non pœnitebit, ſed cupiam contractum ex parte quoque tua impletum eſse, dabitur mihi contra te, ut quod promiſiſti adimplere etiam cogaris, incerta ciuilis actio, id eſt, ut hic Vlpianus interpretatur, præſcriptis uerbis. Licet enim do ut des contractus ſit innominatus (remanet enim in nomine generis, nullo aſſumpto nomine ſpecifico aut eleganti) & proinde nullā actionē producere debere ex regula illa generali uideretur, quia tamē cauſſa ueſtitus eſt inde ciuilis obligatio naſcitur,

b. l. ſi pecuniā. ff. de cōdict. cauſſat.

queadmodũ & ex aliis tribus innominatis, quia & ipſi cauſſam ſemper habent ſecum adnexam. niſi quod in [c] facio ut des nõ præſcriptis uerbis ſed de dolo datur, quãquàm & ſuſtineri poſsit in facio quoque ut des naſci præſcriptis uerbis, ut eſt eleganter à Fortunio contra communem aliorum opinionem adnotatum. [d] Quia tamẽ regula illa generalis qua dicitur nudam pactionem non producere ullam actionem, aliquando fallit (nam nulla præceptio tam generalis eſt, quin aliquando exceptionem aliquam patiatur) ſtatim ſubiungit præſentis legis autor caſum in quo ex pacto quantumlibet nudo, actio oriatur, qui ſenſus etiam ſatis colligitur ex dictione quinimmo, quæ aduerſatur præcedenti uerſiculo, in quo dictum fuerat ex pactione nuda nullam naſci obligationem, quaſi dicat, licet communiter ex pacto non oriatur actio, euenit tamen ut aliquãdo naſcatur. Et hæc quidem eſt reſponſi huius continuatio. Sed quandó nam euenit hoc, ut pactio non cauſſata pariat actionem? In bonæ, inquit, fidei iudiciis, cum ſcilicet ipſa nuda conuẽtio incontinenti adiicitur, aliâs ſi ex interuallo apponeretur, nõ páreret. Ineſt enim in priore caſu contractui pactum, inquit Vlpianus, in poſteriore non ineſt. Ratio-

c. l. natura lis. §. quod ſi faciã ff. de præſcr. uer.

d. l. 4. de dolo. c.

ne igitur inhærētiæ, ſeu, ut ita loquat, ineſſentiæ talis nuditas ueſtitur. Cæterum licet illud incontinenti uariè[e] iuxta ſubiectam materiam ſumi ſoleat, hic tamen dici citur incontinenti apponi, cum ſubiicitur priuſquàm partes ad alia negotia diuerterint. Et hunc quidem puto eſſe purum & ſimplicē uerſiculi huius ſenſum. Sed quādo inter omnes conſtat, neque quiſquam reclamat actionem ex nudo pacto ratione cohærentiæ dāri, quærendum eſt, quænā actio detur: tum utrum hoc locum habeat etiam in contractibus ſtricti iuris. Et Accurſius quidem, cuius ſententiam omnes pene ſequuti ſunt, duas ex tali pacto dicit actiones oriri, unam informatam, quam etiam Bartolus ueterem uocat, alterā præſcriptis verbis, quam nouam noſtri appellant. Petrus uerò[f] Perticanus fatebatur ueterem quidem actionem informari, nouam autem præſcriptis uerbis non indiſtinctè naſci, ſed tum demum cum ex illo pacto habita relatione ad contractum oritur contractus aliquis ex contractibus illis quatuor Innominatis. Vterque, pace tantorū uirorum dixero, plurimum erraſse mihi uidetur. Petrus tamen qui dabat præſcriptis uerbis, cum reſultaret contractus innominatus, propius ſcopum attigit, nec

e *l. fi. c. de erro. aduoc. §. l. quod ait §. fi. ff. ad l. iu. de adul. & l. continuus ff. de uerbo. oblig.*

f *in. l. in bonæ fidei c. eo.*

eius opinio in ſe quidem,ut noſtri loquūtur,mala eſt,ſed huic loco non congruit. Quis enim unquam negauit ex contractu innominato cauſſam habente,[g] cuiuſmodi ſunt illi quatuor,naſci præſcriptis uerbis actionem?Certè tale pactum etiam ſeorſim appoſitum pareret,cum duo uincula ſoleant uno eſse fortiora. Doctrinam igitur Petri ut ſupernacuam & loco huic non congruentem omittamus,& Accurſij Bartolique ſentētiam,quæ receptior eſt,excutiamus. Dicebant igitur duas ex pacto extē plò adiecto actiones naſci,ueterem informatam ad deducta in pactum, & nouam præſcriptis uerbis. Sed quomodo illam ſuam opinionem aſtruēt?An ex iſto textu? At in hoc[h] reſponſo nulla fit neque ueteris neque nouæ actionis mentio. Iam quod à lege dictum non eſt, neque à nobis dici debet.Erubeſcendum enim eſt ſine lege[i] loqui. Adde quòd ſi iſta actio præſcriptis uerbis eſset ſubſidiaria,(ut in hoc caſu neceſſariò eſset)non poſſet cum actione informata,quæ eſt ordinaria, concurrere, propter regulam,quæ dicit nunquàm remedio extraordinario locum eſſe, quamdiu competit ordinarium.[k] Videtur autem Accurſio Bartolo & omnibus ultramontanis errādi cauſſam dediſſe uerbum infor-

g *hac. l. in princ.*

h *neque etiā in. l. in bone. c. eo.*

i § *.conſideremus in aut. de trien. & ſemiſ.*

k *l. in cauſſæ. 2. ff. de minor.*

mandi,dum putant informare nihil aliud eſse,quàm prima exiſtente forma nouam addere:quaſi informare actionem,ſit prima remanente actione nouam párere, & ſic primam actionem extẽdere & ampliare. Sed aliud longè ſignificat.Eſt enim tantùm informare,párere. Nã cum nuſquàm alibi,quod quidem ſciam, uox hæc in iure reperiatur,debet ex hoc loco ſumi eius ſignificatio.Cùm ergo pauló ante Iuriſcõſultus dixiſſet ex pactione nuda nunquàm actionem produci, & ad generalem illam regulam limitationem dare propoſuiſſet: addit ueluti ſeipſum corrigens, interdum tamen ex pacto actionem informari, quod uerbum quid aliud ſignificat, quàm ex pacto actionem naſci? Commentitium igitur eſt & plusquàm ridiculum quod de extenſione prodiderunt. Accedit eò quòd ſi informare ſignificaret extendere,non probaretur ſatis ex textu noſtro pactum nudum párere,ſed tantùm extendere: & tamen omnes conſentiunt hoc loco, Vlpianum uelle oſtendere, pactum nudum aliquandó actionem conſtituere. Sed dicet aliquis. Cum ex pacto contractui inhærente conſtet actionem naſci: ſi neque uetus informetur, neque noua præſcriptis uerbis producatur, quæ ergo dabitur? Ex eodem

contractu:ut manifeſtiſsimè probatur ex ſequenti quodam Papiniani [l] reſpōſo,ubi dicitur,ſi quid emptionis contractui ex interuallo adiectum ſit quod accidentalia cōtractus reſpiciat,nō dari ex empto actionem.ergo ſi aliquid adiectum fuiſset naturæ contractus nō repugnās,agere ex empto licuiſſet,hoc eſt,ut dicimus, ex eodem cōtractu nata fuiſset actio. Cōfirmatur & hæc ſentētia ex eo quod dicitur tale pactū nō amplius nudū eſse,ſed cōtractui ineſse. Iam iſta uerba,ineſse contractui, nihil aliud ſignificant quàm huiuſmodi pacta nō eſſe quidē noua pacta,ſed eſse tantùm præcedentis contractus partem. quòd ſi talia pacta ſunt pars contractus, quomodo diuerſam à contractu principali actionem părerent? Nónne quodammodo mōſtroſum eſset,ut pars diuerſum à ſuo toto produceret?Sed certè hoc contingeret,ſi daretur præſcriptis uerbis,quæ eſset ſtricti iuris,principali contractu ut plurimum bonæ fidei exiſtente.Sanè hoc ſi admitteretur,meritò tale pactum omnes gratitudinis leges uiolare diceretur . Adiuuatur præterea opinio noſtra ex eo quòd talia pacta non amplius nuda ſunt, ſed in contractus nominatos tranſeunt. Iam ex contractu nominato [m] nunquàm datur præ-

l.uerſi.idē j.ea.l.

m.l.1.2. &.3.ff. de præſc. uer.

ſcriptis uerbis. ergo neque ex tali pacto quod nominatum eſt. Quòd ſi iſta adhuc non ſufficiant, en affero tibi in medium ad ſtabiliendam opinionem noſtram aliquos textus, ex quibus manifeſtè probatur ex pacto incōtinēti appoſito agi actione ex eodem contractu, non præſcriptis uerbis: ut ecce ſi uendidi tibi [n] fundi partē adiecto repente pacto, ut emptor alteram partem, quam ego retinueram, annis decē certa pecunia in annos ſingulos cōductā haberet: ſi nolit emptor quod conuenerit facere, dicit Iabolenus ex uendito agendū eſse. Ergo pactum contractui adiectum, ex eodem contractu actionem parit non præſcriptis uerbis. Idē alio loco dixit Paulus. ait enim ex uendito [o] dari actionem ſi poſt uenditum tibi fundum conuenero tecum ut eum certa ſumma conductum haberem: aut ut nulli alii [p] quàm mihi eum reuenderes. Quin & Hermogenianus [q] dum talium pactorum exempla refert, ad cogendum implere talia pacta, nullam aliā dat actionem quàm ex uendito. [r] Iulianus quoque ſummæ uir ſcientiæ dicit, ſi prædia mihi uendidiſti, & illico tecum conueni, ut aliquid facerem, aut ſi non facerem pœnam ſtipulanti tibi darem: ſi non feci, habere quidem te ex ſtipulatu actionem ad pœ-

n. l. fundi partē. ff. de cōtrahen. emp.

o l. ſi ſterilis. §. ſi tibi. ff. de act. emp.

p l. tenetur. §. i. de actio. empti. ff.

q l. qui fūdū. ff. de contrahē. empt.

r l. prædia. ff. de act. emp.

nam, ſed tamen poſſe te priuſquàm pecuniā ex ſtipulatu tibi debitā peteres, actione ex uendito, nata ex primo pacto quod nudum erat experiri. ex quo exemplo quem admodum & ex præcedētibus omnibus ſatis liquet, pacta incontinēti appoſita actionem ex eodem contractu, non præſcriptis uerbis párere, ut uulgò receptum eſt. Sed in ſtabit hic aliquis, dicétque Vlpianum [s] alicubi ex pacto duas actiōes dediſſe, præſcriptis uerbis & ex uendito. ut ſi uendideris mihi bibliothecam ſub hac conditione, ſi Campani mihi locum in quo eam ponerem uenderent, & per me ſteterit quominus uēderent, reſpondet Iuriſconſultus habere te duas actiones contra me, præſcriptis uerbis, & ex uendito. Dico ego legem illā non facere contra concluſionem meam. Siquidem ibi datur præſcriptis uerbis, non propter pactum ex continenti appoſitum, ſed propter perplexitatem, quæ in eo contractu erat: & alioqui regula eſt, [t] ubi dubitatur quæ danda ſit actio, dari præſcriptis uerbis. & ideo hac conſideratione Labeo dabat præſcriptis uerbis. Nam ex uendito dari non poterat, quia uenditio erat conditionalis, & ante euentum conditiōis non oritur actio. [u] Sed Vlpianus conſiderans per emptorem ſtetiſſe, quominus lo-

s l. labeo ſcribit ſi mihi. ff. de cōtrahē. empt.

t l. 1. & 2, ff. præſcri. uer.

u l. cedere diē ff. de uerb. & re. ſignif.

cus à Campanis uenderetur, atque ita iudicans conditionem pro impleta haberi debere, dedit etiam ex uendito. atque ita diuerſis conſiderationibus dantur actiones diuerſæ non ratione cohærentiæ. Nam actio præſcriptis uerbis ideo ibi datur, quia non eſt impleta conditio & nulla aliâs daretur: ex uendito, quia conditio habetur pro impleta. Rurſus inſtabitur ex cõſtitutione [x] quadam Maximini, ubi dicitur ex ſimplici pacto contractui dotis appoſito præſcriptis uerbis actionem oriri. Sed facilis reſponſio eſt. Nam ibi conuentio negotium habebat reciprocum. Cum enim mater ex nuda conuentione obligetur ad dandam dotem, non mirum ſi ex nudo pacto habeat etiam actionem, præſertim cum pactum illud cauſſam habeat, unde actio præſcriptis uerbis cauſetur. quêadmodum [y] in ſimili dicimus in eo qui mecum nudo pacto conuenit de accipienda certa ſumma ſi fugitiuum meum mihi indicaſſet. Nam ſi indicauit & ego ſolutionẽ detrecto, dabitur ei contra me præſcriptis uerbis actio. neque enim conuentio nuda eſt. Iam in reſponſo quodam Vlpiani [z] ſub tractatu de periculo rei uenditæ licet dicatur in uenditione conditionali pactum nudum ualere, & ibi dare ſoleant præſcriptis

x. l. auia. C. de iur. dot.

y. l. ſolent ff. de præſcrip. uer.

z. l. ſi in uẽditione ff.

uerbis

uerbis actionem: non tamẽ hoc fit ratio-
ne cohærentiæ, ſed ideo quia ex tali pacto
reſultat cauſa, [a] quæ facit oriri actionem
præſcriptis uerbis. Eodem modo reſpõde
ad deciſionem [b] Alexandri imperatoris,
& ad duas alias [c] Diocletiani & Maximia
ni conſtitutiões, & ad omnes alias [d] leges,
quæ ex adiectione pacti nudi præſcriptis
uerbis actionem concedunt, ut eadem ſo-
lutione plura contraria diluantur. quem
admodum ex una fidelia ſæpe plures parie
tes dealbantur. Fortaſsis urgebit adhuc ali
quis ex huiuſmodi ſpecie. Nam ſi tibi [e] per
miſi ut cretam ex agro meo ſub hac con-
ditione eximeres, ut foſsam poſtea re-
pleres: ſi quidem locum non repleſti, da-
bitur mihi cõtra te ciuilis præſcriptis uer
bis actio. Reſponde hoc contra nos non
facere. Neque enim ibi datur ideo præſcri
ptis uerbis quia pactum cohæret, ſed quia
dubitatur quænã danda ſit actio, in qua [f]
dubitatione diximus ante ſemper dari præ
ſcriptis uerbis actionem. niſi mauis dice-
re ideo ibi dari præſcriptis uerbis quia pa
ctum cauſsam habet. Idem eſt ſi uendidi ti
bi [g] cretam, & tecum de replenda foſſa cõ-
ueni, Dabitur enim tum mihi, ut locũ im-
pleas, præſcriptis uerbis actio, quia pactũ
cauſſatum eſt, & ex uendito, ratione cohæ

a. ſup. eo. l. in princi.
b. l. 2. C. de pact. inter ẽpt. & uend.
c. l. legem & l. cum res C. de donat.
d. l. ſi uir ff. de præſcrip. uer.
e. l. permiſiſti ff. de præſcrip. uerb.
f. l. 1. 2. 3. ff. de præſcrip. uer.
g. d. l. permiſiſti. uerſic. ſin autem.

rentiæ, quia in ea ſpecie de contractu non dubitatur. qui locus etiam pro opinione mea facit, ut ex pacto actione ex eodem cõ tractu agatur. Similiter in alio themate quod proponit [h] Papin. datur præſcriptis uerbis actio, quia nulla aliâs daretur & tamen æquum erat aliquã dari. & quòd in fine reſponſi ſui dicit idem autor dari ex locato actionem quoties merces interuenit, & Accurſius addit nihilominus & præſcriptis uerbis dari, hoc ideo eſt quia pactum cauſa uallatum eſt, nôn propter cohærentiam. quomodo iam ſæpius ad repugnantes alias leges reſpondimus. Supereſt nunc uideamus utrum pactum cohærens cuilibet contractui actionem pariat. Video enim hac in re diuerſas eſſe noſtrorũ opiniões, aliquibus hoc tantùm in contractibus bonæ fidei, alijs uerò etiã in contractibus ſtricti iuris admittentibus. Ego certè cum Fortunio [i] Alciato cæteriſque recentoribus putauerim concluſionem noſtram tantùm in contractibus bonæ fidei, non etiam ſtricti iuris intelligendam eſſe. Neque enim iſta uerba (in bonæ fidei iudiciis) quæ & iuriſconſulti & imperatores paſſim [k] inculcant, ocioſa ſunt. adde quòd exempla quæ ſtatim hic ſubjungit Vlpianus, [l] bonæ fidei ſunt;

h. l. rogaſti ff. de præſcrip. uer

i. in l. in bonæ c. eod.

k. hic & in d. l. in bonæ.

l. & ſeq. j. eod.

d

quòd ſi idem fuiſſet in cõtractibus ſtricti iuris dicendum, uerißimile eſt eum in ijs quoque daturum fuiſſe exemplũ aliquod, quantumcumque uulgo dicatur [m] exempla non reſtringere regulam. Non ad ferò hic pro corroboratione huius noſtræ concluſionis tritißimum illud dictum, ſine lege non eſſe loquendum. Mihi magis placet opinionem iſtam legibus comprobare. & certum quidem eſt uſuras in contractibus bonæ fidei non debe ri niſi à tẽpore [n] moræ, in contractibus ſtricti iuris à tempore [o] litis conteſtatæ. Quid autem ſi iuxta contractum bonæ fidei, pactum ſtatim apponatur de ſoluendis illico uſuris, an illico debebuntur? certè [p] Paulus & Papinianus [q] reſponderunt, ſi iuxta cõtractum locati & depoſiti, qui ſunt bonæ fidei, ſtatim adiectum ſit pactum, ut uſuræ etiam ante moram peti poſsint, ualiturũ tale pactum, & uſuras actione locati uel depoſiti prout uidelicet erit cõtractus, cui pactum hoc cohærebit, etiam ante morã peti poſse. Sed utrum idem erit, ſi nudo pacto in mutuo, hoc eſt in ſtricti iuris iudicio, conuentum fuerit, ut ſtatim debeantũr uſuræ, cum ueniant tantum poſt litẽ conteſtatam? Non. opus enim eſſet tunc ſtipulatione.[r] Ergo pactum parit tantùm

m. l. regula. §. ſi. ff. de iur. & fact. ign.

n. l. Iulianus. §. ex uẽdito. de act. empt. ff.

o. l. cum fundus ff. ſi cert. pe.

p. l. cum quidam. §. ex locato ff. de uſuris.

q. l. Lutius in fi. ff. depoſit.

r. l. quamuis c. de uſuris.

in contractu bonæ fidei non ſtricti iuris.
Fundant autem alij opinionem ſuam ex quodam Pauli reſponſo,[s] ubi pactum ſtipulationi adiectū proficit reo, etiam ad actionem, Ergo, inquiunt, pactum etiam cōtractui ſtricti iuris adhærens actionem parit. Item & ex quadam diuorum [t] Diocletiani & Maximiani conſtitutiōe, in qua dicitur ſiue ſtipulatio anteceſsit pactū, ſiue ſubſecuta eſt, ex tali pacto naſci actionē. Itē ex Vlpiano qui alicubi [v] dicit, cum aliquid adijcitur uel detrahitur obligationi, ſemper eſse uitiatam ſtipulationem, niſi illico diuerſitas reſponſiōis ſtipulatori placuerit. Reſpondeo primùm Pauli [x] reſponſum nō obſtare, quia pactū ibi ideo parit quia adiectum eſt pro reo, quemadmodum, [y] & in allegata iam imperatorum conſtitutione. Fac ergo talem diſtinctionem. Aut pactū incontinenti appoſitum continet aliquid principaliter pro actore, & tunc ſolum in contractibus bonæ fidei contingit informatio, quia iſti contractus à bona fide partiū debent extenſionem ſumere: & hoc eſt quod dicit hic textus, etiam ex parte actoris inſunt. Nam fatendum eſt talia pacta etiam in contractibus ſtricti iuris ineſse [z]. Ergo non quòd inſunt eſt inter cōtractus

s l. lecta ff. ſi cert. petat.

t. l. petens C. eod.

u. l. 1. §. cum adiicitur ff. de uerb. obli.

x. in d. l. lecta.

y. in d. l. petēs. uel reſponde ut Alc. in 2. parad.

z. d. l. lecta, uer. dicebam.

differētia, ſed quòd ex parte actoris inſunt. Aut pactum illico adiectum, pro reo appoſitum eſt, & tunc etiam in contractibus ſtricti iuris ineſt, & actionem parit ex eodem contractu. Iam ad Vlpiani reſponſum,[a] dic ibi non agi de extendenda ſtipulatióne ad alia quàm ad ea quæ in eadem fuerunt deducta, ſed an ualeat ipſa eadem ſtipulatio, quæ cenſetur renouata eo quòd illico reſpōſio placuit. Per has igitur contrariorū refutationes & rationes ſuperius allegatas ſatis probatæ ſunt iſtæ duæ quas aſſerimus cōcluſiones, uidelicet ex pacto incontinēti appoſito nō naſci actionem præſcriptis uerbis, & actionem oriri ex cohærentia tā tùm in contractibus bonæ fidei non ſtricti iuris. Cæterum quod dicitur ex pacto ex interuallo appoſito nullam actionem naſci, hoc eſt uerum ſi pactum reſpiciat[b] accidentia contractus. Nam ſi uerſatur circa ſubſtantialia contractus, etiam ex interuallo pariet. ut ecce, ſi mihi domum centum uēdideris, & ex interuallo poſtea inter nos conuenerit ut domus ſit inempta, uel quinquaginta tantùm empta, ualebit pactum huiuſmodi, actionémque pariet, licet ex interuallo appoſitum, quàmquam in ſuperiori ſpecie dici poſsit exemplum eſſe pacti reformatiui ſeu reſolutiui cōtractus, & re-

a. d. §. cū adiicitur.

b. §. adeo j. ead. l.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gulam noſtram intelligi in pacto informa tiuo. Rectat nunc referamus caſus aliquot à doctoribus adnotatos, in quibus etiam il lico appoſitum pactum actionem nõ parit. Nam ſi tibi decem mutuarem adiecto pacto [c] ut undecim redderẽtur, pactum illud ut inutile actionem nullam páreret. Intelligitur enim regula noſtra, quoties in pacto non plus continetur, quàm in principali contractu, & quoties pactum continet quod potuiſset in contractum uenire. Vel poſsis dicere, & melius, meo quidem iudicio, non debuiſse caſum illum pro limitatione aſsignari, quia mutuum eſt ſtricti iuris, & ſuperius diximus regulam noſtrã locum tãtùm habere in bonæ fidei iudicijs. Reſpondent alij pactum de plus reddendo quàm acceptum ſit non ualere in contractibus ſtricti iuris, ſed ualere in contractibus bonæ fidei. ut ſi depoſui apud te pecuniam & cõueni tecum ut non [d] idem ſed tantumdem mihi redderes, & nihilominus uſuras ante moram mihi præſtares, ualebit tale pactum. Ergo à ſimili, inquiunt, pactum de plus reddendo in omnibus contractibus bonæ fidei ualidum eſt. Ego tamen cõtrà ſenſerim, neque obſtat modo allegatum in depoſito de plus reddendo pactum. Nam in eo caſu ſpeciale eſt, ut uſuræ ante

c.l.ſi tibi. ǰ.eo.& l. rogaſti.ǫ 1.ff.ſi certum pet.

d.l.Lucius 1.ff.depoſiti.

moram debeantur ex pacto, quia depoſitũ ibi notiſsimos ſuos fines egreditur (quippe depoſitum fit reddendo idem, non tantumdem) & ideo mirum non eſt, ſi à ſuis terminis egrediatur. Non procedit præterea noſtra regula, ſi nihil aliud in pactũ eſſet deductum, præterquàm quod erat in contractu principali. ratio eſt. quia nec e bis idem poteſt quis ſtipulari. In lege autem Pauli quæ incipit, Lecta,[f] idem quidẽ fuit in pacto quod in ſtipulatione, ſed adiecta diuerſa qualitate, ſcilicet ut alio modo & alio tempore ſolueretur. Præterea dicunt regulam non procedere in ſimplici fideiuſsione. Nam & ſi fideiuſsio fiat illico, non tamẽ ualida erit, quia debet ſemper fieri mediante ſtipulatione.[g] Ego uerò dico neq; hanc propriè eſse limitationẽ, quia duo ſunt contractus & diuerſi contrahentes, & textus noſter intelligitur quando pactum ab iisdem ſubditur. Non procedit etiam in contractu conditionali. Nam cum pacta uim à contractu capiant, & contractus adhuc nullus ſit [h] propter cõditiõis ſuſpenſionẽ: nõ poſſunt parere nondum contractu ualente. nec obſtat quod alicubi ſcribit [i] Vlpianus pactum in uenditione conditionali ut res periculo emptoris ſeruetur ualere, quia ibi pactum

e. l. qui bis idem. de uerb. obli. ſ. j. ſi cer. pet.

g. l. blanditur C. de fideiuſſ.

h. d. l. cedere diem

i. l. ſi inuẽditione ff. de peric. & comm. rei uend.

ideo non parit quia ineſt(neque enim poteſt propter conditionis ſuſpẽſionem) ſed quia cauſſam habet, nempe periculum. Eſt & alia limitatio in quadã [K] Diocletiani cõſtitutione ſub titulo locati, ubi ſi extraneus pro colonis meis aliquid Titio ſoluit, & mecum nudo pacto conuenit de recipienda à me ea pecunia, ex pacto non habebit contra me actionem. & ratio eſt quia non fuit factum in utilitatem meam ſed tertii. Addunt & pactum non parere cum appoſitum eſt iuxta contractum iure ſpeciali ualidum. Vt enim pactum cohærentia pariat actionem, requiritur adiectum ſit contractui iure communi ualido, quia iura ſingularia [l] extendi non debent, & dicunt pactum adiectum natura ſua extendere, ſicut pes extendit calceum. & ideo, inquiunt, pactum iuxta donationem appoſitum non pariet. Tenet tamen contrà Garcia. Donatio ſi quidem uel nudo [m] conſenſu perficitur, ut liberalitas non retardetur, ſed ſuum ſortiatur effectum. Sunt & alii caſus quibus ex pacto incõtinenti appoſito nõ datur actio, quos alicubi [n] recẽſet Accurſius. Nam pater dotans filiam, ex nudo pacto nõ acquirit ſibi de dote [o] actionem ſoluto matrimonio. Sed hoc ideo eſt, quia tunc agi-

k. l. ſi tibi c. locat.

l. l. ius ſingulare. ſupra. de legib.

m. l. ſi quis argẽtum. §. ſui autem hoc. c. de donat.

n. in d. l. lecta.

o. d. l. auia de iu. dot.

tur de præiudicio tertii, & pater facit quod aliâs [p] facere tenetur, quaobrem debet ſibi ſtipulatione proſpicere, quod ſecus eſſet in extranea perſona. Item ſi uendo [q] tibi fundum adiecto pacto ne ſepulchrũ ibi facias, ex pacto illo mihi agere non licebit. in cauſa eſt fauor religiõis. ad de quòd ceſsat intereſse paciſcentis. Item ſi poſt contractum nudo pacto promittantur [r] uſuræ, uſuræ ex pacto nõ debebũtur, & hoc in odium uſurarum. Itẽ ſi uenditus ſit ſeruus [ſ] ea lege, ne in Gallia moraretur, pactum illud nõ producet ullam actionẽ, niſi eũ nõ morari in Gallia maximè paciſcẽtis interſit. Ex his quæ dicta ſunt ſatis liquet, ex pacto nudo oriri actionem, niſi cohæreat contractui bonæ fidei, & tunc actionẽ ex eodẽ contractu nõ præſcriptis uerbis naſci, Itẽ quomodo ſit intelligenda illa regula, & quot limitatiões habeat. Nũc operæ pretiũ fuerit uidere, nũ aliquando etiã pactũ nudũ actionem producat. & interdũ producere [t] certũ eſt. Nã ſi nudo pacto promittãtur ciuitati [v] uſuræ, debebuntur reipublicæ fauore. Item ſi mulier nudo pacto marito dotẽ promittat [x], tenebitur dare. Itẽ ſi quis ob honorem [y] decretũ uel decernendum aliquid palam pollicitus ſit uel ob aliam aliquam iuſtam cauſsam,

p. l. fin. c. de dot. promiſs.
q. l. quòd ſi locus ſ. de relig. & l. penult. ſ. eo.
r. l. 3. c. de uſuris.
ſ. l. ſeruus ſ. de ſer. export.
t. glo. in §. de conſtituta; inſt. de act.
u. l. etiam & l. frumenti c. & ff. de uſuris.
x. l. ad exactionem. c. de dot. promiſs.
y. l. 1. § 1 ff. de pollic.

ex pollicitatione tenebitur. Item in nauti co[z] fœnore. Sed potes dicere ne his quidẽ caſibus ex pacto nudo naſci actionẽ, quia omnia iſta pacta legibus ſũt ueſtita, ideóque appellandæ ſunt legitimæ[a] nõ nudæ conuentiones. Quærunt præterea quid ſit pactum nudũ & quid ueſtitum. & nudũ eſt quod in finibus pacti remanet, uel quod eſſe nudũ cõtrahẽtes[b] uoluerũt, uel quãdo fuit ſola ſponſio ſine interrogatione, uel quando inutilis ſtipulatio intercesſit. Veſtitũ eſt quod aliâs appellatur legitimũ, cõtrarium ſcilicet nudo. Communis autẽ opinio habet ſex eſse pactorum ueſtimenta. Sed ita argui põt. Si conſenſu[c] pacta ueſtiantur, ergo nullum pactum nudum eſt. Nullus enim contractus eſt qui cõſenſum non habeat[d]. Reſponde cum Accurſio ſolum conſenſum non eſse ſatis efficax ueſtimentũ. Item poteſt ita argui. Illud dicitur ueſtitum quod aliquando nudum fuit, & cui ſuperinductum fuit ueſtimentum Sed in illis ſex non poteſt dici ſuperinductum ueſtimentũ. Nam cõtractus qui, re, uerbis, literis, & conſenſu perficiuntur, nunquàm nudi fuerunt. Sed à principio nati fuerunt efficaces. Ergo illa ſex non poſsunt dici ueſtimenta. Reſponde hoc quidã uerũ eſse, ſed tamen communẽ ita ſuſtineri poſse. Si ſunt aliqua nuda, ergo

z. l. periculi. ff. de naut. fœ.
a. l. legitima ſup. eo.
b. in gloſſa. igitur ſup. ea. l.
c. gloſ. hic.
d. l. 1. §. 1. in fi. ſup. eo.

quæ nuda non ſunt, ſunt ueſtita. Item reſpectu generis dicuntur nuda quando in nomine generis remanent: reſpectu nominis ſpecifici & elegantis in quod tranſeunt, dicuntur ueſtita. & ita ueſtitum non dicitur quòd illud antea nudum fuerit, ſed reſpectu aliorum in ſua nuditate manentium. Quòd autem hic [e] quærunt utrum actio præſcriptis uerbis, quæ ex cohærentia naſcitur, ſit ſtricti iuris an bonæ fidei, ſuperuacuũ eſt, ſiquidem antè diximus actionem præſcriptis uerbis ex cohærẽtia non dari. Si tamen daretur, eſſet eius naturæ cuius contractus principalis quia ex fictione pars eius eſt. actio tamen præſcriptis uerbis quæ naſcitur ex contractu innominato cauſam habẽte, ſemper eſt ſtricti iuris. Pro complemento addendum ſupradictis, hodie ex æquitate [f] canonica omne nudum pactum actionem părere, quia deus non diſtinguit inter ſtipulationem & ſimplicem promiſsionem. Fuerunt & qui dixerunt etiam iure ciuili nudum pactum părere, quia nihil tam naturale eſt quàm [g] ut quæ placuerunt ſeruentur. & prætor alibi [h] dicit, pacta ſeruabo. Sed reſpondendum eſt, eorum uerborum (pacta ſeruabo) hunc eſſe ſenſum, ſeruabo [i] quo ad actionem ſi tendunt ad obligandum:

e. gloſ. hic.

f. c. I. de pact. ext.

g. l. i. ſup. eo.

h. §. pretor ait.

inf. ea. l.

i. Bart. in d. §. pretor.

uel quoad exceptionem ſi tendunt ad liberandum.uel ſeruabo in iudicio. uel ſeruabo ideſt exercitium dabo. Et hæc quidem ſunt quæ ad præſens reſponſum mihi uiſa ſunt dicenda.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

19

20

LEGATORIA A. PAND
1971
ROMA

BIBLIOTECA